



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XL. Aliquæ difficultates circa præcedentem doctrinam resolvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

pro rata. Ita ex l. Si quis testam. ff. de Legat. 1. docent Arnil. verb. Legatum, num. 25. Tabien. Legatum, 1. num. 33. Sylvest. Legatum 3. quest. 5. Angel. Legatum, 1. num. 35. P. Sanch. cit. num. 1. & 2. Si verò adhuc sit dubium, utrùm sit, aut non sit una oratio, tunc expressio illa corporis, seu qualitatis, & signi intelligenda est apponi gratiâ demonstrationis, sicque non limitare dispositionem, sed adhuc illa deficiente, debet integrè legatum; siquidem in dubio semper præsumendum est pro valore actus ex l. Quoties, ff. de Reb. dub. Vide P. Sanch. lib. 3. de Matr. d. 21. n. 36.

881. Hinc deducitur primò decisio casus, quo quis hæredem instituit monasterium Sancti Dominici omnium suorum bonorù, eâ conditione, ut in ejus ædibus templum construeret, & in illis habitaret: postea tamen legatum reliquit his verbis: *Lego Petro nepoti meo centum aureos singulis annis, dum vixerit*: omnes autem facultates testatoris præter ædes prædictas consumptæ sunt in solvendis aliis illius debitis, quibus pro sententiam judicis fuerunt applicatæ: dubium nunc est, an Monasterium teneatur solvere hoc legatum Petro nepoti testatoris?

882. Respondeo, non teneri. Ita P. Sanch. lib. 4. Consil. cap. 17. num. 3. ubi asserit hoc idem docere doctos Jurisperitos à se consultos. Patet, quia res, ex qua præstatio debet fieri, ponitur in eadem oratione, sicque limitat dispositionem; ergo eâ deficiente, ut deficiunt redditus testatoris, illiusque facultatum, deficit ipsa dispositio, & legatum. Neque ex illius ædibus, in quibus successit monasterium, possunt ulli redditus provenire; siquidem testator voluit, & eâ conditione instituit hæredem Monasterium, ut in eis habitaret, templumque construeret.

883. Imò addit P. Sanchez cit. licet res, ex qua hæc summa solvenda foret, apponeretur in alia oratione dicens: *Lego Petro nepoti meo centum aureos singulis annis, & volo, ut illi solvantur de redditibus meorum facultatum*: in præsentis casu non ei debet legatum; siquidem expressè visus est velle, ut non solveretur ex redditibus suarum ædium, quatenus declaraverit, se velle, ut monasterium, & templum in illis perpetuò habitaret, & construeretur, cæteræque facultates sint omninò extinctæ. Aliiter tamen esset, si diceret: *Lego nepoti meo centum aureos singulis annis, & volo, ut solvantur ex redditibus talis fundi*: tunc enim, cum locus, ex quo præstari debet legatum, apponatur in diversa oratione, sicque legatum non restringat, extincto illo fundo, non extinguitur, neque perit legatum, si aliæ facultates defuncti supersint juxta superius dicta.

884. Deducitur secundò decisio alterius casus, quo quis vendidit centum pondo, id est, *arrobas lanarum* ex suo grege (idemque in similibus aliis venditionibus.) contigit autem, quod ex suo grege non perceperit, nisi octoginta. Dubium est, an teneatur tradere emptori omnia centum, aut satisfaciat tradendo tantum illa octoginta? Respondeo, si restrictio illa ex suo grege apponatur in diversa oratione, teneri tradere omnia centum, ut si dicat: *Vendo tibi centum pondo lanarum, quas tradam ex lanis perceptis ex meo grege*; siquidem demonstratio illa ex meo grege, cum apponatur in diversa oratione, non restringit dispositionem: Si autem apponatur in eadem oratione, ut *vendo tibi centum pondo lanarum de meo grege*, demonstratio de meo grege restringit dispositionem, ita ut venditio non intelligatur fieri, nisi de lanâ sui gregis, sicque non tenebitur tradere omnia centum, sed tantum octoginta,

sitantum octoginta habeat; deficiente enim parte illius quantitatis, deficit etiam venditio quoad illam partem. Ita aliis consultis P. Sanch. lib. 4. Consil. cap. 2. n. 5.

Dubium 3. Quid dicendum sit in dubio, utrùm legatum relictum sit personæ, an dignitati? Præsumendum est pro dignitate. Quando autem legatum fuit Ecclesiæ, & dubium est, an fuerit pro una vice, vel in perpetuum? Utrumque est probabile. Si verò legatum relictum fuit fratribus Petri religiosi, non intelligitur de fratribus illius etiam religiosi, sed carnalibus. Ita P. Bard. cit. §. 13. 14. & 16. cum communi. Qui etiam §. 17. asserit, legata ad piam causam, si inveniuntur deleta in testamento, solvenda esse, nisi constet de intentione testatoris.

SECTIO XL.

Aliquæ difficultates circa præcedentem doctrinam resolvuntur.

886. **D**IFFICULTAS I. Quid dicendum sit casu, quo Petrus mihi reliquit legatum sub conditione, quod ego ingrederer religionem, & dubium est, an intellexerit de solo ingressu, vel etiam de perseverantiâ in religione; aut mihi dandum sit legatum, si tempore Novitiatus deseram religionem? Advertes primò, conditionem avertendi à nuptiis carnalibus omninò rejici ab hæreditate, & legato, eaque rejectâ, & hæreditatem, & legatum purè deberi, ut si quis virgini relinquat 100. si non nupserit, obtinebit illa 100. quasi purè & absque omni conditione essent illi relicta, ut ex l. Quoties, 22. l. Cum tale. 71. §. Mænia, & l. Titia, si non nupserit, ff. de condit. & demonstr. & l. 2. C. de Indict. viduit. probat P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 34. num. 3. & ratione, quia Reipubl. interest, ut multis ex legitimo matrimonio procreatis, augeatur. Idemque asserit dicendum, si donationi causâ mortis eadem conditio adjuncta sit.

887. Advertes secundò, non idem dicendum de conditione avertente à nuptiis spiritualibus, ut si quis Titia relinquat 100. si non fuerit ingressa religionem; talis enim conditio valet. Primò, quia licet status religionis sit perfectior, quàm matrimonialis; jus tamen non illi, sicut isti tribuit hunc favorem. Secundò, quia licet conditio illa sit religioni adversa; favet tamen matrimonio, & sobolis procreationi.

888. Tertio quia per talem conditionem non est verisimile, aliquem arcendum ab ingressu religionis, sicut arceretur à matrimonio; siquidem cum ad id ingrediatur, ut sæculo, & bonis temporalibus, per tria vota, renuntiet, non arcebitur, licet videat se legato privandum. Quarto, quia ingressus religionis respicit privatum ingredientis bonum; matrimonium autem bonum Reipl. commune; ergo mirum non est, si Jus non ita faveat ingressui religionis, ac matrimonio. Ita Covar. 1. var. cap. 19. num. 10. Mantica, Paul. Alex. Decius, Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 83. num. 18. 19. & 23. Gutier. P. Mol. tomo 1. de Just. tract. 2. d. 207. ad fin. quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 34. num. 11.

889. Advertes tertio, sicut validè potest apponi conditio hæredi, sive legatario non ingrediendi religionem, ut diximus proximè, ita etiam apponi posse conditionem ingrediendi, sive invitandi ad religionem, ut si quis dicat: *Relinquo Titia 100. si ingrediatur religionem*; talis enim conditio valet;

valet, ita ut eam non implētā, illi legatum non cedat. Patet, quia iustum est spe præmii ad religionem allicere; præsertim cum conditio directè non tendat ad nuptias impediendas, sed solum per acci- dens, & indirectè; neque præsumendum est, voluisse jus hanc conditionem in favorem matrimo- nii annullare; ergo &c. Ita Bald. Authent. Cui re- lictum. C. de Indict. viduit. n. 3. & ibi Paul. & Jason. Covar. 1. var. cap. 19. n. 10. Acoſta. l. Cum tale. §. Si arbitrato ff. de Condit. & demonstr. Gomez. 1. var. cap. 12. n. 78. P. Mol. tom. 1. de iust. tract. 6. d. 207. quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 34. n. 15. Addens etiam valere hanc conditionem: si fiat Sacerdos: non tamen hanc: si continenter vixe- rit: quia directè expellit nuptias; secus verò: si ca- ste, & honestè vixerit; siquidem ducens uxorem di- citur castè, & honestè vivere. His positis.

890. Conclusio fit: Legatum sub ea conditione in- grediendi religionem relictum, nisi aliud constet de voluntate testatoris, cõparat ingrediens, etiam- si non perseveret, sed anno novitiatus religionem deleat. Ita Lud. de Romal. Permisseri 52. §. Spe- cies ff. de acquir. possess. n. 4. Jason. in l. Si quis hæ- redem 7. C. de Institut. & substit. n. 13. D. Thom. 2. 2. q. ult. art. 4. Brunel. de Sponsal. conclus. 31. num. 12. & cum illis P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 34. n. 17. Probatur primò ex l. Si quis hæredem cit. ibi: Sancimus quancumque impleta fuerit conditio, sive vivo eo, sive mortis tempore, sive post mortem, conditionem videri esse completam. Ex quo textu omnes colligunt, satis esse, conditionem semel temporis mo- mento impleri; sed legatarius illam implevit ingre- diendo, licet postea exierit; ergo &c.

891. Probatur secundò, quia ingredi religionem, & in eam profiteri, ponuntur ut diversa, juxta cap. Beneficium cap. qui post votum, de regul. jur. in 6. ibi: Religionem aliam, etiam laxiorem ingreditur, & pro- fitetur in ipsa; ergo cum testator in conditione non meminerit professionis, sed solius ingressus, solo ingressu paretur conditioni; consequenterque cedet legatum. Confirmatur, quia in dubio minimè præsumitur, aliam esse testatoris intentionem, quam verba significant ex l. Labeo. §. Idem Tubero. ff. de Supellect. legat. sed verba solum ingressum religio- nis significant; ergo &c.

892. Probatur tertio, quia votens religionis ingressum, satisfacit voto, si ingrediatur, licet novitiatus tem- pore exeat; siquidem votum ingressus intelligen- dum est, ubi non constat de contraria intentione votentis, secundum formam juris communis, quod annum probationis ad experiendum indulget; er- go similiter conditio ingressus religionis adjecta à testatore, intelligi debet secundum eandem juris communis dispositionem; siquidem in dubio testa- toris non debent verba intelligi, ut inducant ali- quid à jure exorbitans juxta l. uxori. §. ff. de Legat. 3. Confirmatur, quia testatore sic filium instituyente: Si filios non habueris substituo Caium: excluditur substitutus, habitis filiis, licet vivo filio obierint, eò quòd conditio semel extitit, quamvis effectum non habuerit, ut cum aliis docent Mantica de con- ject. ult. volunt. l. 6. r. n. 5. & P. Sanch. cit. n. 17. ergo similiter.

893. Oppositum tenent Paul. in l. Si quis hæredem, cit. n. 3. & ibid. Bald. n. 2. & dubitant Bart. n. 2. Angel. l. In substitutione, & ibi tenet Incola n. 4. ff. de vul- gar. Alex. n. 2. & alii, pro quibus: Argues I Verba cum effectu debent intelligi juxta cap. Relatum de Cler. non Resident. alioqui præsumendum esset, testatorem actum vanum voluisse, qualis est in- gressus religionis, professione non secuta; ergo

&c. Respondeo non esse actum vanum, dum quis bona fide animo experiendi ingreditur; neque absque justa causa egredi potest, ut infra dicemus, ad quod conditio illa alstringit.

Argues 2. Ex l. Reprehendenda, s. C. de Institut. & substit. ibi: Redi igitur ad maritum, sciens heredita- tem matris, si redieris, retenturam: quippe quam re- tineres, licet ab eo non recessisses. Ex quibus verbis constat, non requiri perseverantiam in conditione divortii à viro, sub qua legatum relictum est, eò quòd conditio erat turpis; ergo à contrario sensu, quando conditio honesta est, qualis est religionis, requiritur perseverantia. Respondeo primò, non valere argumentum à contrario sensu, quando re- sultat ablonus intellectus contra jus: hic autem re- sultat contra l. Si quis hæredem cit. ex qua constat, satis esse temporis momento conditionem impleri. Secundò, legem illam nihil probare; siquidem Im- perator non ininitur conditionis turpitudini, sed arguit à majori ad minus hoc modo: Si non diver- tisset, obtineret; ergo à fortiori redeundo.

Argues 3. Uxor, cui maritus reliquit legatum, si assumpserit habitum tertii Ordinis D. Francisci, non illud consequitur, si semel assumptum dimise- rit, ut docet Bald. in l. Si quis hæredem cit. ergo si- militer. Respondeo negando antecedens; est enim eadem ratio, ut cum Jason. n. 13. docet P. Sanch. cit. n. 17. Qui tamen advertit, prædictam doctrinam intelligendam esse, dummodò ingressus in religio- nem fuerit bona fide animo experiendi; exitusque esset ex justa causa; nam si legatarius eo solo animo ingrederetur, ut obtineret legatum, postea exitu- rus: aut bona fide ingressus, absque justa causa ha- bitum dimitteret, non satisfaceret, ut ei legatum cederet.

Probatur prima pars primò, quia testator non intendit actum vanum, qualis est ille. Secundò, quia intendit ingressum religionis secundum for- mam juris; hæc autem est, ut ingrediatur bona fi- de animo experiendi. Tertio, quia hoc ingressu non satisfit votu ingrediendi religionem, ut docet D. Thom. 2. 2. q. ult. art. 4. ad 3. & Caiet. ibi. Richard. in 4. dist. 38. art. 2. q. 3. & ibi Palud. D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 2. §. Abul. Angel. Sylvest. Tabien. Ar- mil. & cum illis P. Sanch. cit. ergo &c.

Probatur secunda pars, quia testator ad aliquid voluit alstringere, ut legatarius legatum obtineret; sed ingrediens religionem, secluso quocumque præ- cepto, tenetur, si omnia grata inveniat, saltem sub culpa veniali permanere; ergo testator eam conditione gravare voluit, nè omnia grata inveniens, absque causa justa retrocedat. Confirmatur, quia minimè satisfacit voto religionis, qui absque justà causà egreditur, ut docent Caiet. Armil. Angel. Pasarel. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 95. num. 2. & cum illis P. Sanch. cit. n. 17. ergo &c.

Quæres tamen hic: Utrum institutus sub con- ditione ingressus religionis, obtineat legatum, si prius uxorem ducat, & viduus effectus, fiat religioſus? Negativè. Probatur, quia conditio jam defecit; ergo etiam legatum juxta l. Hac condit. filie mee. l. Cum ita §. 1. & l. Hoc genus ff. de condit. & demonstr. & l. Matrimonii ff. Qui, & à quibus, & ibi Acoſta. n. 2. & 3. cum Bart. & Bald. & Molin. de Primog. lib. 2. cap. 13. num. 16. & P. Sanchez. lib. 1. de Matr. d. 33. n. 17. qui idem affirmat de eo, qui ius- sus ducere Mariam, primò aliam duxit, deinde verò viduus effectus, veli Mariam ducere; non ideo enim legatum obtinebit.

Hanc tamen doctrinam limitat Molin. cit. & 899 cum eo P. Sanchez cit. dummodò tempore delatae successio-

successionis, aut post illam delatam conditioni minime pareat; nam tunc irrecuperabiliter legatum amittet; siquidem conditio defecit: secus tamen si tempore delatæ successionis parere velit conditioni, quia jam prius matrimonium dissolutum est, & tunc vult ingredi religionem, aut inire illud matrimonium, quod testator injunxit; siquidem conditiones semper respiciunt tempus delatæ successionis ex l. *Intervenit*, ff. de Legat. præstan. ibi: *Et placet sufficere in ea necessitudine tunc esse, cum dies legati cecisset.*

900. **Difficultas 2.** quid dicendum sit in casu, quo Petrus legavit centum aureos pro Missis celebrandis cuidam Sacerdoti, aut teneatur Sacerdos illas applicare pro anima Petri testatoris, aut possit, cui voluerit Missas applicare, cum Petrus testator nihil expresserit? Respondeo probabilius teneri pro anima Petri celebrare. Probat, quia ex communiter contingentibus sumitur bona præsumptio, ut docet *Mench.* de præsumpt. lib. 1. quæst. 18. communiter autem homines solent velle, prædictas Missas sibi applicari: præsertim quando pro illis celebrandis stipendium aliquod in testamento designant. Ita cum aliis *P. Bard. cit. §. 3.* Quamvis opposita sententia sit probabilis, ut in simili docent *P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 86. sect. 1. P. Vasq. tom. 3. in 3. p. d. 232. cap. 2. n. 12. P. Fillii. to. 1. tr. 5. cap. 6. n. 174.* & alii, quos citat, & sequitur *Diana part. 2. tract. 14. resol. 26.* dum asserunt, Parochum non teneri pro suis ovibus celebrare, licet proventus Parochiales ei tribuant, ut sibi diebus Dominicis, & Festivis celebret, quod debet, aut per se, aut per alium ex justâ causâ, præstare, ut docent Doctores cit.

901. **Difficultas 3.** Quid dicendum in dubio, quo, cum Petrus legaverit centum aureos Ecclesiæ D. Petri, sint in eadem Civitate plures Ecclesiæ ejusdem nominis? Respondeo, legatum dandum esse Parochiali, si habeat idem nomen: sin minus, illi, in quâ voluit sepeliri: si tamen neque Parochialis, neque illa, in qua elegit sepulturam, id nomen habeat, dandum est Ecclesiæ pauperiori illius nominis: sicut quando duplex est Monasterium ejusdem nominis, alterum virorum, & alterum fœminarum, censetur legatum relictum Monialibus, utpote pauperioribus, ut docet *P. Fragos. de Testam. d. 8. num. 189.* Si verò omnes Ecclesiæ sint æqualiter pauperes, dividendum est legatum inter omnes: licet aliqui teneant, posse Episcopum, cui maluerit, legatum applicare. Ita cum aliis *P. Bard. discept. 6. cap. 10. §. 7.*

902. **Difficultas 4.** Quid dicendum in dubio, cuinam Ecclesiæ tradendum sit legatum, si Petrus tempore, quo fecit testamentum habitans in una Parochia, & postea in alia mortuus est, legavit centum aureos Ecclesiæ Parochiali? Respondeo, tradendum esse legatum Ecclesiæ, sive Parochiæ, in quâ mortuus est; siquidem testator mutans domicilium, censetur etiam mutasse legatum quoad applicationem. Ita plures apud *P. Bard. cit. §. 6.* Similiter, si quis legavit annuos redditus, ut singulis diebus Missa celebraret pro sua anima, & locum non assignavit, in quo sit celebranda, intelligitur de Ecclesia, in qua sepultus est; nisi aliud teneat consuetudo, quæ in hoc videtur stare in contrarium; siquidem cum homines soleant aliquando locum assignare pro Missis celebrandis, quando volunt, ut in aliquo speciali loco celebrentur, si id non faciunt, hæredibus liberum relinquunt, ut id faciunt, & communiter faciunt in tali casu distribuentes Missas quoad locum, & Sacerdotes pro suo arbitratu.

Tom. 2.

903. **Difficultas 5.** Quid dicendum in dubio, quo quis legavit suam domum, in quâ habitat, habet tamen duas, alteram ruri, & alteram in Civitate? Respondeo, legatum intelligendum esse de domo urbana, non verò de illa, quam habet ruri: tum quia, ut aliqua domus dicatur habitata, requiritur frequens commoratio: hæc autem non fit communiter ruri: tum etiam, quia nomine domus solet intelligi domus urbana. Ita *P. Sanch. & alii apud P. Bard. cit. cap. 10. §. 11.* Si quis tamen habens duo æqualia domicilia in duplici Parochia, reliquit aliquid suæ Ecclesiæ, legatum dividendum est æqualiter inter illas. Ita *Tiraq. Decretal. quæst. 17.* contra alios contrarium opinantes.

904. **Difficultas 6.** Quid dicendum in dubio, quo, cum Petrus legaverit centum aureos dando per hæredem certo pauperi, mortuo hoc paupere, tenetur hæres alteri pauperi legatum tradere? Affirmativè. Probat, quia cum legatum fuerit pium, quale est omne illud, quod tendit ad exercendam aliquam virtutem, ut docet *Oliva part. 1. de For. Eccles. q. 43. num. 20.* & pro anima testatoris, præsumitur, quod pauper ille non fuit positus taxativè, sed tantum demonstrativè, quia scilicet erat notus testatori, aut aliâ quâcumq; de causâ; illo ergo mortuo, debetur legatum alteri pauperi. Ita *Barr. in l. Pater. §. Tusulanus, ff. de Legat. 3. num. 2. Abb in cap. Nos quidem, de Testam. num. 14. Anan. ibid. n. 15. Mantica, & Medin. P. Molin. tomo 1. de Just. d. 249.* quos citat & sequitur *P. Sanchez lib. 4. cap. 11. num. 35.*

905. Addit tamen *P. Sanchez cit. id esse verum, dummodò ex circumstantiis non colligatur, legatum fuisse relictum in utilitatem illius tantum pauperis; tunc enim debetur ei, aut ejus hæredibus prædictum legatum: sicut etiam asserit deberi, postquam hæres testatoris fuit in mora implendi ejus voluntatem tradendo pauperi elemosinam; siquidem hæres tenentur lege justitiæ ad legata implenda, & mortuo testatore, pauper ille jus acquisierat; ergo in ea succedit jure illius hæres.*

SECTIO XLI.

Proponuntur & resolvuntur aliæ difficultates de eadem materiâ.

906. **DIFFICULTAS 1.** Quid dicendum, si debitor leget aliquid creditori, & dubium sit, an tale legatum censetur relictum animo compensandi debitum: vel debeat creditor habere utrumque, & legatum, & debitum? A dvertes, debitum posse esse in duplici differentia: alterum est, & dicitur voluntarium, quod scilicet ab initio voluntarium fuit, ortumque habuit ex voluntate, & conventionione debitoris, qui liberè fecit, cum posset non efficere contractum, sive conventionem, ex qua resultavit obligatio solvendi debitum, quale est debitum contractum ex emptione, locatione, promissione, mutuo servitio, & similibus. Alterum est, & dicitur debitum necessarium, quale scilicet est debitum ex dispositione legali. Ita *Covar. Cisuentes, Casillo, Gomez. tomo 1. var. cap. 12. num. 27. Mantica de Conjectur. ult. volunt. lib. 10. tit. 2. num. 3.* & cum illis *P. Sanchez lib. 4. Consil. cap. 2. dub. 15. n. 1.* qui num. 16. concludit, debitorem necessarium esse, qui incidit in obligationem ex dispositione absque suo factu: voluntarium autem, qui suo factu incidit in obligationem. His positis.

¶

Dico